

A
622

sa mutatio ista est officio & obsequio, quod exuere pro arbitrio populus haud potest, sicut ex antea adductis potest constare. Pravitas Magistratus occasionem forte non raro tribuit multis deturbandi istum; sed num jure quoq; factae tales mutationes sint, probandum foret.

29. Ita in genere Subditorum officia dedimus explicata: proximum foret nunc progredi ad singulas & Ecclesiasticorum & seclarium functiones. Sed specialem ista requirunt & plenior pertractationem, cui hac vice non est locus.

30. Divisionem quod spectat, frequentata illa est, in eminentiores & inferioris conditionis quando dispescunt politici. Ad illos referunt *nobiles*, genere & virtute tales; Literatos item, inter quos primum locum obtinent Theologi, secundum Jcti, tertium Medici, quartum Philosophi, Oratores & Poetae. Et tandem Milites uti Imperatores, Duces & praefecti exercitus aestimandi maxime sunt.

31. Est autem triplicis hujus ordinis magnus in Republ. usus. Non enim faciunt ad splendorem & Magnificentiam tantum, cui in Republ. saepe permultum tribuendum; sed, quod maximum est, ad prudenter atq; feliciter administrandum imperium. Unde illud Platonis: *Tum demum salvas esse Respubl. si aut Philosophi imperantes, aut imperent Philosophi.* Incidunt vero etiam tempora, ubi frustra utimur pacis artibus, & ubi manu opus est prompta, & Scipionis virtute; hinc militum gloria literis & artibus bonis aequiparata.

32. Inferioris fortis subditi rursus suas habent classes & ordines. Ad primum Mercatores locantur & agrorum cultores. Ita enim sese habent horum operae